

a) *ut retineat species materiales impressas in prioribus sensationibus, sive externis sive internis, habitas;*

b) *ut cognoscat res absentes per has rerum species conservatas;*

c) *ut rerum imagines dividat et componat in novos complexus notarum, qui etiam res non antea cognitae, imo impossibiles, repraesentent (montem aureum, arborem currentem).*

Stat. quaest. In *animalibus* dicimus phantasiam existere, saltem perfectioribus; nam de inferioribus quae externos sensus, tactum et gustum solum habere videntur, neque loco movent se, non satis manifestatur phantasia suis effectibus, neque apparet quae ejus foret utilitas.

Prob. 1^a pars (*est phantasia*). Animalia sua cubilia consueta, stabula, repetunt, domino absente tristantur, prole amissa queruntur, dormiendo latrant, ejulant, pedes movent, etc; *a.* haec sunt signa res absentes appeti ac proinde cognosci; *e.*

Prob. 2^a pars (*est organica*). Potentiae specificantur ab objecto et actu; *a.* phantasiae objectum sunt repraesentationes sensibiles, materiales, concretae; *e.*

Ad min. Eo solum differt phantasia a sensu externo vel interno, quod hic objectum praesens tantum, illa objectum etiam absens percipiat; sed in eo conveniunt quod objectum repraesentatur singulare, concretum, sensibile.

Prob. 3^a pars (*organum cerebrum*). Teste experientia: *a)* ex longo phantasiae exercitio fatigatur cerebrum; — *b)* alia quacumque parte systematis nervi corrupta, si cerebrum manet illaesum, manet etiam usus phantasiae; — *c)* solo cerebro laeso cessat vel turbatur phantasia; — *d)* ad solum cerebrum ut ad centrum deferuntur aliorum organorum specierum impressiones; — *a.* haec signa sunt ipsum cerebrum esse organum phantasiae; *e.*

Propositio 43.

Phantasia exerceri quidem sine sensibus externis et interno nequit, ab eis tamen differt.

Prob. 1^a pars (*sine sensibus nequit*). Phantasiae objectum attingitur per rerum imagines in sentiente existentes; *a.* hae imagines in sentiente non nisi per sensus externos vel internum existunt; *e.*

Ad maj. Nisi istae admittantur imagines in sentiente remanentes, deberet objectum phantasiae attingi aut per seipsum, aut per actionem apprehensivam rei olim elicitam; *a.* neutrum admitti potest (nam ordinario neutrum amplius existit); *e.*

Ad min. Teste experientia: *a)* ante usum sensuum nulla est rerum cognitio, *b)* qui aliquo sensu caret, phantasmata huic sensui correspondentia non habet; *e.*

Prob. 2^a pars (*ab eis differt*). Potentiae diversificantur ab operationibus; *a.* sensus et phantasia operationibus differunt; *e.*

Ad min. Differunt operationes: 1) *quoad objecta*, quae in sensibus externis sunt res externae praesentes, et in sensu interno communi sunt sensibilibus discretio vel consociatio, i. e. eorum identitas objectiva vel distinctio; — in phantasia autem non res praesentes qua tales nec sensibilibus discretio et consociatio, sed res olim perceptae, repraesentationibus internis conservatis cognoscendae.

2) *quoad modum operandi*, qui in sensibus non est nisi de rebus praesentibus prout apparent, et non nisi in statu vigiliae; in phantasia autem est etiam compositio et divisio notarum in complexus quales non apparuerunt, et etiam in somniis exercetur.

Coroll. 1^m Ergo perperam aliqui distinguere volunt *phantasiam* ut facultatem retentivam specierum, ac cognitivam rerum absentium; atque *imaginationem* ut facultatem divisivam et compositivam notarum; — nam objectum formale est idem, nimirum res cognita quatenus speciebus retentis ac jam independenter ab ipsa sua praesentia repraesentatur.

Coroll. 2^m Ergo phantasia non tam sensus quam potius sensibilis facultas est dicenda; nam ejus munus non est res praesentes qua tales sentire, sed eas per imagines sibi iterum repraesentare; attamen hoc objectum materiale, non abstractum nec spirituale est, et ipsa facultas a sensibus et materiali organo suo dependens est.

Coroll. 3^m Lex qua se mutuo excipiunt phantasmata saepe longa serie, est *lex associationis*; i. e. phantasma unum aliud suscitatur phantasma secundum varios nexos mutuos similitudinis, oppositionis, simultaneae olim habitae perceptionis, etc. Hujus autem legis ratio intima nos latet.

Coroll. 4^m Nihil repugnat ut ceteris facultatibus sensitivis impeditis ab exercitio, per organorum externorum et systematis nervi soporem, expedita satis ad operationem propriam maneat facultas interna soli cerebro (vel forsitan soli alicui cerebri parti) inhaerens. Atque ita explicari videntur somnia; attamen obscuritas manet, in quonam consistat intrinsece sopor organorum externorum et nervorum, seu somnus, qui aliquando etiam cerebrum occupet, aliquando illud vel modice vel imo nequaquam occupet (Sed de his plura cfr. in appendice ad psych.).

Propositio 44.

Sedes sensationis per phantasiam reproductae non est organum in quo prius habitae est, sed est ipsa phantasia ejusque organum.

Prob. Reproductio illa fit in facultate reproductiva; *a.* haec non est in organis externis; *e.*

Ad min. 1) Organum phantasiae non sunt organa externa, sed cerebrum; *a.* facultas organica, phantasia, nequit existere nisi ibi ubi ejus est organum; *e.*

2) Conscientia nobis testatur nos non imaginari oculis, manibus, pedibus, etc.

3) Etiam amisso vel laeso organo sensus alicujus externi, phantasia sensationes in illo habitas reproducit.

Objic. 1° Phantasia sensationes reproductas refert ad organa et loca in quibus primum habitae sunt; *e.* — R. *c. ant.* — *d. cons.* phantasia sensationes retinet concreto modo, *c.*; phantasiae reproductio ibi fit ubi antea sensationes fuere, *n.*

Objic. 2° Vividior imaginatio v. g. saporis, excitat in organo proprio gustus, salivae segregationem, sicut realis sensatio; *e.* — R. *a) c. ant.* — *d. cons.* reproductio ibi fit, *n.*; aliquomodo conjungitur phantasia cum sensibus externis, *c.* — vel R. *b) d. cons.* radicanur sensus externi et phantasia in eadem anima, *c.*; secus, *n.*

Schol. De variis phantasiae turbationibus cfr. in appendice ad psych.

§ 6. DE MEMORIA.

Propositio 45.

Est in animalibus memoria, quae est potentia organica, et a phantasia differt.

Notiones. 1) *Memoria* est facultas recognoscendi affectiones suas praeteritas, ut suas, et ut praeteritas. — Duplex est memoria: sensitiva, circa sensibilia, de qua sola hic agimus; et intellectualis, circa intelligibilia, de qua non hic.

2) Memoriae igitur *munera* sunt: a) directe repraesentare affectiones olim habitas, — b) indirecte repraesentare *objecta* per has sensationes percepta, — c) implicite repraesentare *relationem connexionis* inter ipsum sentientem et haec objecta eorumque perceptionem (i. e. hanc perceptionem fuisse suam).

Stat. quaest. Memoriam existere affirmamus tantum in perfectioribus animalibus; nam in inferioribus memoria neque ex effectibus potest a posteriori, neque ex ejus necessitate vel utilitate probari a priori.

Prob. 1^a pars (existit memoria). 1° Teste experientia, bruta apprehendunt res olim cognitae, ut cognitae, et ut olim cognitae, et ut a se cognitae; *a.* hoc est memoriae exercitium, seu recordatio; *e.*

Ad maj. v. c. 1) Bruta sua cubilia, suos nidos, consuetos locos repetunt, et quidem *statis temporibus*...

2) Bestiae memores se beneficiorum et injuriarum esse ostendunt (canes, equi, elephantes, cameli)...

3) Animalia disciplinabilia se exhibent, et domabilia.

4) Saepe in similibus casibus exspectant similes effectus.

Prob. 2° Repugnat ut animalibus natura non providerit in necessariis; *a.* sine memoria non esset sufficienter provisum; *e.*

Ad min. Sine memoria non possent bruta ad absentia olim apprehensa se

movere, ut quaerant salutaria, v. c. cibos in horreis cumulos, sub terra confossos et absconditos, vel ut noxia sibi devitent, v. c. loca periculosa.

Prob. 2^a pars (est organica). Ut facultas sit organica requiritur et sufficit 1) ut ejus objectum formale sit sensibile, et 2) ut actus in organo exerceatur; *a.* de memoria haec valent; *e.*

Ad min. 1 part. (objectum sensibile). Objectum proprium formale memoriae est affectio sensibilis olim habita, et objectum hujus affectionis, et relatio ejus cum sentiente subjecto; *a.* haec sunt sensibilia; *e.*

ad min. a) de affectione et objecto patet.

b) de relatione: haec relatio percipi non debet ut universalis et abstracta, neque explicite reduplicative ut relatio, sed solum ut singularis, concreta, implicite nota in experimentali facto propriae affectionis ex hoc objecto in his praeteriti temporis adjunctis; v. c. canis suae vapulationis recordans sibi repraesentet quasi dicas: hunc suum dolorem sic vestitum et loquentem sicut ille homo est, vel: illum hominem sic sibi dolorosum; *a.* tale objectum sensibile est; *e.*

Ad min. 2 part. (in organo exercetur). Teste experientia: a) in cerebro sentimus nos exercere actum memorandi, et illo exercitio cerebrum fatigari, — b) incipere debet illud exercitium ab exercitio phantasiae et sensus communis, ac proinde in cerebro, — c) per memoriam recolligimus in unum sensationes multas in variis partibus systematis nervi olim habitas, ac proinde ope cerebri.

Prob. 3^a pars (a phantasia differt). 1° Actus et objecto distinguuntur potentiae: *a.* phantasiae et memoriae actus et objecta differunt; *e.*

Ad min. Phantasiae actus independens est ab objecti externi reali existentia (nam potest etiam novas res nunquam perceptas sibi repraesentare; et quae sibi repraesentat non refert ad ordinem realem objectivum); — *phantasiae objectum* proprium non res externae sunt, qua tales; sed quatenus per species retentas seu phantasmata repraesentabiles;

Memoriae actus non independens est ab objecti externi reali olim existentia (nam illud necessario ut existens, ex quo orta sit olim affectio subjecti repraesentat); — *memoriae objectum* sunt ipsa objecta, et subjectiva ex illis habita affectio.

Prob. 2° Teste experientia: a) aliquibus naturaliter vivida est phantasia, debilis tamen memoria, vel e converso; b) morbo vel senectute interdum omnino extinguitur memoria, integra et vivida remanente phantasia; *e.*

Propositio 46.

Memoria sensitiva determinatur ad actum per speciem quam, quum primum sentit animal objectum, in se excipit conservatque.

Stat. quaest. De specie impressa conservata modo dicta quaeritur quid ea sit, utrum numerice differat a specie olim ab objecto in sensum impressa, et quomodo retenta.

Prob. Memoria ad actum determinanda est per aliquid repraesentans objectum, quod non sit tamen objectum ipsum; *a.* tale nihil est praeter speciem quam animal in se olim excepit conservatque; *e.*

Ad maj. Omnis potentia cognitiva determinanda est ad actum suum, per objectum cognoscendum aut per aliquid aliud ipsum repraesentans; *a.* objectum cognoscendum a memoria, utpote praeteritum, jam non adest; *e.*

Ad min. Istud aliud praeter objectum, nihil excogitari potest nisi aut species olim ab objecto impressa et in sentientis facultate conservata, aut ipsa olim ex objecto habita affectio et sensatio expressa; *a.* haec non fuit conservata; *e.* illa.

Coroll. 1^m Ergo aliquid ex prima rei perceptione remanet etiam in corpore, nam aliter organum corporale concurrere non potest ad memoriae determinationem, nec proinde memoria potentia organica esset.

Coroll. 2^m Ergo si quaeras quomodo species conservatae memoriam determinant; — R. a) Sicut species in sensu communi interno receptae conservantur, ac phantasiam determinant ad eadem objecta jam absentia repraesentanda, imo etiam ad easdem notas in varios novos complexus componendas; ita species ab objecto impressae in sensum communem et in phantasiam, simul cum perceptionis vestigio aliquo in sensu intimo habitae de propria sensatione, conservantur ac per modum unius speciei memoriam determinant; — b) at quomodo species illae, et vestigia sensationum propriarum, quae tamen in sensum speciem imprimere non debuerunt (cfr. sup. prop. 40. part. 2), postea conserventur; verior responsio est, ut factum ex effectibus agnoscentes, modum nos ignorare fateamur; poteruntque haec vestigia, quia tamen impressa permanent, vocari aliquo sensu species impressae.

Coroll. 3^m Ergo memoriae recordatio a reminiscencia differt: quia recordatio fit obvio spontaneo actu; reminiscencia autem cum inquisitione et postulat actum rationis ad investigandum unum ex alio, et actum voluntatis quae moveat intellectum ad investigationem; — neque igitur existit in brutis reminiscencia, sed sola recordatio.

Coroll. 4^m De methodo memoriam perficiendi et facilius reminiscendi cfr. 2. 2^{ae} q. 49. a. 1. ad 2; quatuor scilicet dat media: illustrationes, ordinem sive methodicum sive systematicum, attentionem observationemque, et studium perseverans.

§ 7. DE VI AESTIMATIVA.

Propositio 47.

Est in brutis facultas aestimativa, quae est facultas organica et differt ab aliis facultatibus sensitivis.

Notiones. 1) *Vis aestimativa* est facultas apprehendendi res sensatas, sub ratione insensata; i. e. circa res per alios sensus externos et internos per-

ceptas, apprehendendi alias insuper notas (= rationes = intentiones, ut saepe dicuntur) quas alii sensus non exhibent; nempe relationes aliquas concretas et singulares, quas res ad se invicem vel ad ipsum subjectum sentiens habent. Sunt autem hae relationes v. c. esse amicum, vel inimicum; esse fortiorem vel viucibilem; esse delectabilem vel ingratum; esse utilem vel nocivum; esse commodum vel incommodum; esse matrem; esse fetum.

2) Hujus facultatis aestimativae apprehensiones maxime ad intelligibilia judicia accedunt; atque in homine fere cum iis continuantur, a quibus vix discerni possunt. Sunt enim apprehensiones quaedam sensibiles per quas fit aestimatio de rebus perceptis in ordine ad aliquid aliud vel in ordine ad ipsum animal sentiens. Unde etiam usu satis ordinario vocantur analogice: *judicia sensibilia*.

3) Hae sensibiles apprehensiones in animantibus distingui possunt: a) *experimentales*, quae circa relationes experientia olim perceptas, v. c. canis locum ubi semel vapulavit in posterum sedulo vitat; — b) *naturales*, quae etiam omnem experientiam praeventunt, vel caeco instinctu, v. c. ovis quem primum videt lupum fugit.

4) De hac utraque apprehensionum specie, potius tamen de secunda, agimus hic.

Prob. 1^a pars (existit aestimativa). Bruta non sunt mera automata, sed agunt spontanee (i. e. ex principio interno, secundum praeviam cognitionem); *a.* tales sunt brutorum actiones ut necessario praesupponant judicia aestimativa; *e.*

Ad min. Bruta agunt secundum relationes particulares concretas (apparentes saltem); v. c.:

a) *judicia experimentalia*: post vapulationem, hunc locum, hominem, etc. vitant; canis post offensionem domini, ad eum contritus et humilis adrepat; equus, canis, etc. educatus, post similem actionem simile praemium exspectat;

b) *judicia naturalia*: ovis fugit lupum; avis colligit paleas ad nidificandum; autumnus migrant in alias regiones; pullus ad matrem confugit; canem si trux aspiciat, iratus exsilit, vel timens se avertit;

Atqui haec omnia non explicantur per phantasiam vel sensum communem (qui res perceptas, ut sic, exhibent), nec per memoriam (quae res ut olim perceptas exhibet, non ut mox exspectandas, ut utiles...); nec per associationem phantasmatum (qua non nisi antea percepta se mutuo revocant cognoscenda, non mox percipienda); *e.*

Prob. 2^a pars (organica). Facultas est organica, si a) ejus objectum formale est sensibile, b) operationis modus est dependens ab organo; *a.* de aestimativa haec obtinent; *e.*

Ad min. 1 part. Objectum sunt relationes non abstractae, universales, reduplicative ut relationes percipiendae, sed concretae, singulares, praesentes; *a.* tale objectum non superat sensibilitatem; *e.*

Ad 2 part. Modus operandi est dependens a perceptione praesupposita sensuum aliorum, quorum impressis speciebus moveatur aestimativa ut per eas in iisdem rebus concretis concretas harum relationes percipiat.

Prob. 3^a pars (*distincta facultas*). Relationes illas concretas certe percipiunt animalia; *a.* 1) nihil percipi potest nisi per potentiam cujus objectum hoc proprium sit; 2) nec aliarum facultatum organicarum objectum proprium sunt illae relationes; *e.*

Objic. (Contra 3^{am} part.). 1^o Aestimativa debet esse facultas cognoscens omnes res per sensus alios perceptas; *a.* facultas quae sensationes aliorum sensuum colligit et unificat, est sensus communis; *e.* — *R. d. maj.* cognoscens omnes eas res... solum quatenus sunt ab aliis sensibus perceptae, *n;* quatenus in eis aliquid per alios sensus non perceptum exhibetur insuper, *c;* — *c. min.* — *d. cons.* aestimativa est ipse sensus communis, *n;* eum praesupponit, eoque quasi instrumento suo utitur, *c.*

Objic. 2^o Si aestimativa est potentia distincta, perit reductio omnium sensuum ad unum aliquid; *e.* — *R. d. ant.* reductio ad unam potentiam, *c;* ad unum subjectum sentiens, seu ad unum principium sensitivum, *n.*

Objic. 3^o Haec facultas nova deberet cognoscere omnia quae sensus communis cognoscit, et praeterea alia quaedam; *a.* ita superfluum est sensus communis et sufficit sola aestimativa; *e.* — *R. d. maj.* haec facultas debet eadem cognoscere, *n;* idem subjectum debet sensu communi cognoscere ea, et aestimativa facultate alia quaedam, *c.*

Schol. 1^m Quomodo in aestimativa imprimantur species proportionatae. — *R.* 1) Non immediate ab objecto externo, sed mediantibus aliis sensibus; quod minus mirum videbitur, si animadvertas idem esse organum. — 2) Proportionem inter species per alios sensus communicatas, et actum per aestimativam producendum, non aliter explicabis nisi attendendo: a) objectum repraesentandum esse praesens concretum, b) in ipsa facultate esse admitendum aliquem subjectivum instinctum naturalem.

Schol. 2^m Haec est facultas qua duce excitatur ac dirigitur appetitus et externa operatio, saepe apud animalia tam mirabiliter apta ad fines particulares naturales, quam communiter homines vocant operationem *ex instinctu*. — Similis facultas sensibilis etiam apud hominem invenitur, eamque vocant scholastici vim cogitativam.

ARTICULUS 3.

De sensibili appetitu.

Propositio 48.

Appetitus naturalis non est specialis facultas entis, sed provenit immediate a natura.

Notiones. 1) *Appetitus* est inclinatio entis ad bonum suum prosequen-

dum; dicitur istud bonum *conveniens*, quia potest quodammodo unum cum appetente fieri, illud perficiendo.

2) *Appetitus est*

}	naturalis — necessario ex ipsa rei natura ortus, non supponens praeviam cognitionem boni.
	elicitus — ex boni cognitione ortus.
	{ sensitivus : inferior, tendens ad bonum conveniens naturae sensitivae. rationalis : superior, ad bonum conveniens naturae rationali.

3) Supponimus quod patet experientia, dari in omni re appetitum naturalem, nam omnia tendunt in finem suum (cfr. cosmol.).

Prob. Omnis res (sive substantia, sive potentia, sive accidens mobile), naturaliter inclinatur ad finem suum proprium consequendum; *a.* haec inclinatio nequit esse ex speciali facultate; *e.*

Ad maj. Nulla res solum ideo est ut sit, sed ideo est ut aliquem finem consequatur, ad quem vi suae essentiae habet aptitudinem, tendentiam, inclinationem.

Ad min. 1) Si haec inclinatio esset ex aliqua speciali facultate, haec ipsa facultas esset etiam aliqua res quae iterum propriam haberet inclinationem, et ita in infinitum; *a.* hoc repugnat; *e.*

2) Haec ipsa inclinatio esset ens aliquod proprium habens finem essentialem; *a.* hic finis ejus essentialis *aut omnino idem est ac finis essentialis rei cui inhaeret haec inclinatio*, et jam non distinguuntur essentialiter res et sua inclinatio naturalis; — *aut alius est ac finis essentialis rei*, et jam non erit haec inclinatio appetitus naturalis hujus rei, sed appetitus aliquis particularis hujus inclinationis.

Coroll. 1^m Ergo cognitio quae dirigit appetitum naturalem, est in Deo naturae auctore, non in ipsa natura.

Coroll. 2^m Ergo si quando facultas appetendi, vel etiam actus specialis vocatur appetitus *naturalis*, id alio sensu dicitur, scilicet quod haec facultas vel appetitio sit huic naturae proportionata et debita, ex eaque naturaliter dimanans: cfr. ethic.

Propositio 49.

Est in animalibus appetitus elicitus, qui procedit a speciali facultate elicitiva ejus.

Prob. 1^a pars (*existit*). 1^o Quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio correspondens huic formae; *a.* in animalibus, praeter formam naturalem substantialem est alia forma, et quidem speciali facultate acquisita; *e.* praeter appetitum naturalem, adest alius appetitus specialis huic speciali formae correspondens.

Prob. maj. Omne ens determinatum constituitur ut tale determinatum per

aliquam suam formam; *a.* haec forma, nisi dicatur esse ens inutile, existens solum ut existat, ad nihil bonum et proinde non ens, debet ad certum aliquem suum proprium finem tendere seu inclinari; *e.*

Prob. min. Praeter formam substantialem qua constituuntur ut animalia determinata (cui correspondet appetitus naturalis animalis), adest forma cognoscentis, i. e. facultas cognitiva in actu primo, tendens in speciem expressam ut finem suum in actu secundo; *a.* haec ipsa species expressa est alia forma accidentalis, quae per se ad nihil jam tendit, nisi ipsi correspondet aliquis appetitus elicitus accidentalis specialis; *e.*

Prob. 2^o Animal saepe cognoscit aliquod particulare bonum vel nocivum toti subjecto, et sequitur appetitus correspondens (teste experientia); *a.* appetitus tendens ad bonum aliquod particulare totius subjecti non est appetitus naturalis; *e.*

Ad min. 1) Appetitus naturalis singularum facultatum tendit tantum in bonum particulare singularum facultatum; et 2) appetitus naturalis totius entis tendit tantum in bonum naturale essenziale totius subjecti, non in ejus aliquod bonum particulare accidentale; et 3) appetitus naturalis quilibet est habitualis essentialis aptitudo, inclinatio; appetitus elicitus autem est actualis accidentalis actio appetendi.

Prob. 2^a pars (specialis facultas). Ex actibus specificantur potentiae; *a.* appetitus elicitus 1) est actus accidentalis subjecto, 2) sequens ad formam accidentalem (cognitionem) ex facultate speciali, 3) habens objectum formale suum particulare proprium (bonum cognitum); *e.* est potentia activa specialis quae hunc actum eliciat, i. e. producat immanenter.

Coroll. Ergo ex cognitione sensitiva sequitur appetitus elicitus sensitivus, ex intellectiva sequitur intellectivus (i. e. voluntas, de qua non hic).

Propositio 50.

Formale objectum appetitus sensitivi est bonum delectabile secundum sensum.

Stat. quaest. Supponimus ut evidens, objectum appetitus cujuscumque formale non esse nisi bonum, nam inclinatio ad unionem et acquisitionem nequit concipi nisi de unione cum objecto quod subjecto conforme, conveniens, bonum sit.

Prob. Omne bonum appetibile aut est bonum communissime conceptum, aut bonum honestum, aut utile, aut delectabile; *a.* nec 1^m nec 2^m nec 3^m sunt objectum formale appetitus sensitivi; *e.* 4^m.

Ad min. 1^m. (*non ratio boni communissima*). Sensus nullum universale apprehendit.

Ad 2^m. (*non bonum honestum*). Honesti ratio desumitur ex rei conformitate ad intellectum cognoscentem rerum essentias, fines, convenientias; ac proinde nequit appeti nisi a facultate quae intellectu movetur.

Ad 3^m. (*non bonum utile*). Ratio utilis consistit in relatione medii ad finem; *a.* hanc relationem formaliter apprehendere nequit sensus (aestimativa apprehendit eam solum materialiter et concrete).

Propositio 51.

Appetitus sensitivus non est liber.

Stat. quaest. 1) Non hic locus est ut libertatis intimam naturam quaeramus dignoscere (cfr. psychol.); sed lato vulgari sensu eam cognoscentes, factum inquirimus, sitne ea an desit in brutis animantibus.

2) Distinguenda sunt :

appetitus naturalis : i. e. inclinatio rei vi suae essentiae insita ad finem proprium.

appetitus elicitus — inclinatio rei vi suae alicujus specialis facultatis ad finem aliquem particularem accidentalem.

spontaneus — — si facultas ad hoc bonum accidentale necessario statim fertur ac fuit cognitum.

liber — — — si facultas ad hoc bonum, etiam actu cognitum, et datis omnibus ad agendum requisitis, non tamen necessario fertur, sed ipsa se determinare debet.

a coactione : immunis ab omni vi extrinsecus illata, contra appetitus inclinationem.

a necessitate : immunis ab intrinseca determinatione ad unum, sed potens se determinare ad alterutrum oppositorum.

3) Concedimus appetitum sensitivum esse spontaneum, sed negamus eum liberum esse, et quidem de libertate a coactione minime agitur, nam a) quod haec adsit vel absit, nihil mutatur in appetitu facultatis, qui potius idem esse praesupponitur, — b) imo si de coactione non subjecti totius, sed ipsius facultatis appetentis agitur, satis absurda statim apparet notio : facultatis scilicet contra suam inclinationem actualem actualiter inclinatae.

4) Sed agitur de libertate a necessitate interna.

Prob. Appetitus sensitivus non fundatur in cognitione intellectuali, sed in sensitiva (imo in brutis haec sola adest); *a.* libertas appetitus fundari debet in cognitione intellectuali, non in sensitiva; *e.*

Prob. min. Libertas dicit electionem unius prae altero, ac proinde dicit cognitionem plurium : ut plurium, et ut eligibilium, et ut separabilium, et ut inter se oppositorum quoad suam cujusque bonitatem; quae sunt relationes formaliter qua tales cognoscendae; *a.* haec omnia non sensus sed intellectus cognoscere potest; *e.*

ad min. Sensus objecta concreta et singularia cognoscit, non universales vel abstractas oppositiones, et eligibilitatem unius prae alio, quae deliberationis objectum esse possit.

Propositio 52.

Appetitus sensitivus est facultas organica, cujus organum videtur esse cor.

Stat. quaest. De prima parte vix aliqua est difficultas vel disputatio; sed de secunda: hodierni multi physiologi dicunt organum appetitus esse cerebrum, quia in eo fit cognitio praecedens, et ex eo protenduntur nervi quibus cordi communicatur motus correspondens. Cor ergo non esse nisi organum quo varii effectus appetitus cetero corpori communicentur.

Prob. 1^a pars (facultas organica). 1^o Teste experientia, omnes appetitus sensitivi motus, praesertim si vehementiores sunt, sequitur corporalis immutatio; *a.* facultas quae in *omni* sua operatione pendet a corpore est organica; *e.*

Prob. 2^o Appetitus sensitivi objectum formale totale est bonum sensibile; *e.*

Prob. 2^a pars (organum cor). Teste experientia obvia, et melius etiam teste physiologia, in omni motu appetitus sensitivi fit immutatio aliqua propria et proportionata cordis, v. c. dilatationis, constrictionis, accelerationis, retardationis; *a.* hoc signum est, cor esse organum proprium istorum motuum, seu actuum appetitus sensitivi; *e.*

Ad maj. 1) In statu *sanitatis ordinariae*: quales sensationes praecedunt objectorum boni delectabilis, vel mali fugiendi, tales in cerebro, sensationis organo interno, existunt modificationes; unde per nervos ad hoc proprios ad cor transmittuntur modificationes proportionatae, simulque actus appetitivus amandi, desiderandi, sperandi, horrendi, timendi elicitur.

2) In statu *morbido* praecedere potest mutatio aliqua cordis, se tunc simul sentitur passio appetitus, gaudii, timoris, tristitiae; et inde in cerebro redundant; atque in sensu interno, phantasia, memoria, oritur perceptio correspondens, rei ut delectabilis, ut hostilis, ut formidandae.

Ad min. Organum proprie dictum facultatis, non est merum instrumentum quo facultas ad producendos effectus utatur, sed est pars corporis naturaliter huic facultati destinata, cui facultas illa inhaeret tanquam subjecto suo proprio, in qua perficiuntur hujus facultatis actus, cujus proinde motus et mutationes ipsis facultatis actibus correspondent et proportionatae sunt; signa autem quibus agnoscat tale organum sunt ipsa haec dependentia, correspondentia et proportio actuum et motuum facultatis et organi; *a.* talis dependentia, correspondentia, proportio inveniuntur in factis descriptis quoad cor et appetitum sensibilem; *e.*

Objic. 1^o Totum hoc argumentum retorqueri potest, et ad cerebrum applicari. — *R. d.* quatenus appetitus correspondet cognitioni cujus organum est cerebrum, *c;* quatenus in solo cerebro perficiatur actus appetendi, *n.*

Objic. 2^o Teste physiologia, cor aliud nihil est quam musculus ad vitam vegetativam inserviens, cujus motus aliquam patiuntur modificationem, a

cerebro per nervos ad hoc proprios; *a.* sic nihil mirum quod cordis motus, licet non appetitionis participes, illi tamen in cerebro factae correspondent; *e.* — *R. d. maj. 1 part.* est etiam, *c;* est non nisi, *n.* (gratis assertum); — *c. 2 part. maj.* cujus motus; — *n. min.* vel *d. min.* nihil mirum si cognitioni respondeat appetitus, ac proinde sub influxu organi cognitionis per nervos ad hoc proprios moveatur etiam organum appetitus, *c;* nihil mirum si in solo cerebro perficiatur et cognitio et appetitus, et deinde existant nervi turbatores cordis, quorum neque actio neque ipsa existentia ullum sapientem finem naturalem habere possunt, *n.*

Inst. Finis sufficiens est, ut vitae sensitivae correspondeat vita vegetativa, et unitas servetur in toto vivente. — *R. n.* (sapiens unitatis finis non est ad bonum naturae, ut si uno modo turbetur ac male se habeat vivens, debeat etiam omni modo turbari et male se habere, et *ad hoc solum aptos* nervos possideat!)

Coroll. 1^m Ergo qualis connexio est inter cognitionem praerequisitam et appetitionem inde sequentem, talis etiam est inter cerebrum et cor, organa sensationis et appetitionis. Hinc aliquomodo potest cerebrum dici appetitus organum, scilicet praerequisitum et indirectum principium, non tamen proprie organum elicitive.

Coroll. 2^m Ergo recte tanquam amoris, etiam spiritualis, symbolum sensibile habetur passim cor.

Coroll. 3^m Ergo cum vero fundamento in re, variae hominum dispositiones, et habitus, ac virtutes etiam et agendi modi morales, exprimuntur his et similibus locutionibus: cor magnum, cor leve, angustum, oppressum, mobile, durum, tenerum, ardens; homo cordatus, vecors, excors; concordia, discordia.

Propositio 53.

Appetitus concupiscibilis et irascibilis videntur esse duae potentiae diversae.

Prob. 1^o Potentiae specificantur ab objecto formali; *a.* concupiscibilis objectum est bonum sensibile delectabile tantum *ut fructum*; irascibilis autem objectum est bonum *ut arduum*, i. e. ut a malo contrario minitante defendendum; *e.*

Prob. 2^o Teste experientia, interdum contra concupiscibilis inclinationem, v. c. fuga vel tristitia depressum, animal tamen se erigit per contrariam inclinationem, v. c. spei et audaciae, vel irae; *a.* duae inclinationes se mutuo impugnant et expellentes, nequeunt ad unum principium proximum reduci; *e.*